



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S. Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...

Bacon, Francis

Francofvrti ad Moenvm, 1665

Cap. II. Doctrina de Methodo sermonis, constituitur ut pars traditivæ. Enumerantur Methodi genera diversa, & subjunguntur eorum commoda, & incommoda.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5

nos in enumeratione, & quasi censu artium, id agere, ut scientiarum copia (quas veluti in aciem adducimus) auctæ & multiplicatæ, magis sint admirationi; cum tamen numerus etiam forte ostentari, vires tam brevi Tractatu vix explicari possint. Verum nos institutum nostrum fideliter urgemus, atque, in hoc globo scientiarum conficiendo, etiam insulas minores, aut remotiores, omitti nolumus. Neque vero (ut arbitramur) perfunctorie, licet cursim, eas artes attingimus; sed potius nucleos, & medullas ipsarum, ex multa materiæ massa; stylo acuto excerpimus. Cujus rei judicium ipsis illis, qui in hujusmodi artibus peritissimi sunt, permittimus. Cum enim plerique, qui multis scii videri volunt, hoc fere habeant; ut vocabula & exteriora artium passim jactantes, illarum ignavis admirationi, Magistris ludibrio sint; speramus, nostra contrarium profus eventum habitura, ut peritissimi cujusque in artibus singulis judicium maxime detineant, cæteris minoris sint. Quod vero ad artes illas, quæ minorum quasi gentium videri possunt; si quis existimet, nos nimium quid ipsis tribuere; circumspiciat ille, & videbit, homines in provinciis suis, magnos sane & celebres, cum ad Metropolim aut sedem imperii forte migraverint, turbæ fere immisceri, & inferioris notæ esse: similiter mirum non est, artes istas leviores, juxta artes Principales, & supremas collocatas, dignitate minui; cum tamen iis, qui operam illis præcipue impenderint, res videantur utique magnæ, & præclaræ. Atque de organo sermonis hæc dicta sint.

CAP. II.

Doctrina de Methodo sermonis constituitur, ut pars traditivæ substantivæ, & principalis: Nomen ei inditur Prudentia traditivæ. Enumerantur Methodi Genera diversa: & subjunguntur eorum commoda, & incommoda.

Veniamus ad doctrinam de methodo sermonis. Ea pars Dialecticæ tractari consuevit. Etiam locum in Rhetorica per nomen *Dispositionis* reperit. Verum collatio ejus in famulatio aliarum artium, in causa fuit, ut plurima quæ ad ipsam spectant, cognitu utilis, prætermissa sint. Visum igitur est nobis, *Doctrinam Substantivam, & Principalem de Methodo* constituere, quam nomine generali *Prudentiam Traditivam* appellamus. Itaque *Methodi Genera* (cum varia sint) enumerabimus potius, quam partiemur. Atque de unica *Methodo, & Dichotomiis* perpetuis, nil attinet dicere: Fuit enim Nebecula quædam Doctrina, quæ cito transit: Res certe simul & levis, & scientiis damnosissima. Etenim hujusmodi homines, cum *Methodi* suæ Legibus res torqueant; & quæcunque in Dichotomiis illas non apte cadunt, aut omittant, aut præter Naturam inflectant; hoc efficiunt, ut quasi Nuclei, & Grana Scientiarum exiliant, ipsi aridas tantum, & desertas Siliquas stringant. Itaque inania compendia patit hoc genus *Methodi*, solida scientiarum destruit.

Constituatur igitur prima differentia *methodi*, ut sit aut *magistralis*, aut *initiativa*. Neque

vero verbum *initiativa* ita intelligimus, quasi hæc initia scientiarum tantum ita traderet, illa doctrinam integram; Verum contra (vocabulum à sacris mutuantes) eam dicimus *methodum initiativam*, quæ ipsa scientiarum mysteria recudat, & denudet. *Magistralis* siquidem docet uti iis, quæ dicuntur; *initiativa* vero potius, ut examen subeant: Altera scientias discendum vulgo; Altera tanquam filiis scientiarum tradit: Denique, altera pro fine habet, scientiarum (quales jam sunt) usum; Altera earundem conuentionem, & ulteriorem progressum. Harum posterior, via videtur *deserta, & interclusa*. Ita enim adhuc scientiæ tradi consueverunt; quasi ex pacto, tam docens quam discens, errores adsciscere cupiant. Etenim qui docet, eo docet modo, quo maxime dictis suis fides astruatur, non quo illa commodissime examini subiiciantur: & qui discit, sibi exemplo fieri, non legitimam disquisitionem præstolari expetit; ut magis sit ei cordi, *Non Dubitare*, quam *non Errare*. Ita ut & Magister, amore gloriæ, infirmitatem scientiæ suæ progere caveat, & Discipulus, laboris odium, vires proprias experiri nolit. Scientia vero, quæ aliis tanquam tela pertextenda traditur, *Eadem Methodo* (si fieri possit) *animo alterius est insinuanda, qua primitus inventa est*. Atque hoc ipsum fieri sane potest in scientia per *inductionem* acquisita: Sed in anticipata ista, & præmatura scientia (qua utimur) non facile dicat quis, quo itinere ad eam, quam nactus est, scientiam pervenerit. Attamen sane secundum majus & minus, possit quis scientiam propriam revisere, & vestigia suæ cognitionis, simul & consensus rememeri, atque hoc pacto scientiam sic transplantare in animum alienum, sicut crevit in suo. Artibus enim idem uluvenit quod plantis: si plantâ aliquâ uti in animo habeas, de radice quid fiat nil refert; si vero transferre cupias in aliud solum, tutius est radicibus uti, quam surculis. Sic traditio, (quæ nunc in usu est) exhibet plane tanquam truncos (pulchros illos quidem) scientiarum, sed tamen absque radicibus, fabro lignario certe commodos, at plantatori inutiles. Quod si, Disciplina ut crescant, tibi cordi sit, de truncis minus sis sollicitus; ad id curam adhibe, ut radices illæ se, etiam cum aliquantulo terræ adherentis, extrahantur. Cujus quidem generis traditionis, *Methodus Mathematicorum*, in eo subiecto, similitudinem quandam habet; generatim autem non video, quid aut in usu sit, aut quid quis inquisitioni ejus dederit operam; proinde eam inter *desiderata* numerabimus, eamque *Traditionem Lampadis*, sive *Methodum ad filios* appellabimus.

Sequitur aliquid *Methodi* discrimen, priorum intentioni affine, re ipsa fere contrarium. Hoc enim habet utraque *Methodus* commune, ut vulgus auditorum à selectis separet, Illud oppositum, quod prior introducit modum Tradendi solito apertiorum; altera, de qua jam dicemus, occultiorum. Sit igitur discrimen tale, ut altera *Methodus* sit, *Exoterica*, altera *Acroamatica*. Etenim quam antiqui adhibuerunt præcipue in edendis libris differentiam, eam

eam nos transferemus ad ipsum modum Tradendi. Quinetiam *Acroamatica* ipsa apud Veteres in usu fuit, atque prudenter, & cum iudicio adhibita. At *Acroamaticum*, sive *Anigmatium* istud dicendi genus, posterioribus temporibus de honestatum est à plurimis, qui eo tanquam lumine ambiguo, & fallaci abuli sunt, ad merces suas adulterinas extrudendas. Intentio autem ejus ea esse videtur, ut traditionis involucris vulgus (profanum scilicet) à Secretis Scientiarum summoveatur, atque illi tantum admittantur, qui aut per manus Magistrorum, paraboliarum interpretationem nacti sunt, aut proprio ingenij acumine, & subtilitate, intravelum penetrare possint.

Sequitur aliud *Methodi* discrimen, magni proflus ad Scientias momenti; cum scilicet Scientiæ traduntur, aut per *Aphorismos*, aut *Methodice*. Notatu enim in primis dignum est, in consuetudinem plerumque venisse, ut homines ex pauculis axiomatibus & observationibus, in quovis modo subiecto, artem constituent quasi completam, & solennem, eam ingenij quibusdam Commentationibus suffarciendo, Exemplis illustrando; & *Methodo* revinciendo. At illa altera *Traditio* per *Aphorismos*, plurima secum fert commoda, ad quæ *traditio Methodica* non attingit. Primum enim de Scriptore specimen dat, utrum ille leviter, & perfunctorie Scientiam hauserit, an penitus imbibierit. *Aphorismi* enim, nisi proflus forent ridiculi, necesse est, ut ex medullis, & interioribus Scientiarum conficiantur. Abscinditur enim illustratio, & excursio; Abscinditur varietas exemplorum; Abscinditur deductio, & connexio; Abscinditur descriptio Practicæ: ut ad materiam *Aphorismorum* nihil relinquatur, præter copiam observationum bene amplam. Igitur ad *Aphorismos* non sufficit quisquam, imo de eis nec cogitabit sane, qui se neutiquam copiose, & solide instructum ad scribendum perspexerit. At in *Methodis*

— *Tantum series, juncturaque pollet,*

Tantum de medio sumptis accedit honoris,

ut speciem artis, nescio cujus, præclaræ, sæpe numero reportent ea; quæ si solvantur, sequegentur, & denudentur, ad nihilum fere recasura forent. Secundo, *Traditio Methodica*, ad fidem & consensum valet; At indicationes de Praxi minus innuit: Siquidem demonstrationem quandam in orbe præ se fert, partibus se invicem illuminantibus, ideoque intellectui satisfacit magis; quia vero actiones in vita communi sparguntur, non ordine componuntur, ideo magis iisdem conducunt etiam sparsa documenta. Postremo, *Aphorismi*, cum Scientiarum portiones quasdam, & quasi frustra tantum exhibeant, invitant, ut alij etiam aliquid adjiciant & erogent; *Traditio vero Methodica*, dum Scientiam integram ostentat, secutos illico homines reddit, quasi jam summa adeptos.

Sequitur aliud *Methodi* discrimen, magni & illud quoque momenti: cum scilicet Scientiæ traduntur, aut per *assertiones adjectis probationibus*, aut per *quæstiones una cum determinationibus*. Hanc autem posteriorem *Methodum*

si immoderatus quis persequatur. Scientiarum profectui non minus illa officit, quam fortunis, & progressibus exercitus cujuscumque impedimento, & damno foret; si in minutis quibusque castellis, aut oppidis expugnandis subinde hæreat. Etenim si quis in acie sit superior, & summæ belli sedulo incumbat, minora illa loca ultra se submittent. Illud tamen inficias non ierim, urbem aliquam magnam, & munitam à tergo relinquere, haud quaquam semper tutum esse: Eodem modo, confutationibus in Scientiarum traditione temperandum, iisque parce utendum: & ad hoc tantum, ut majores præoccupationes animorum, & præjudicia frangantur, minime autem, ut leviores dubitationes excitentur, & provocentur.

Sequitur aliud *Methodi* discrimen, ut scilicet *Methodus* sit *subjectæ materie, quæ tractatur, accommodata*. Alio enim modo traduntur Mathematica, (quæ sunt inter Scientias maxime abstracta & simplicia;) alio Politica, quæ maxime sunt immerfa, & composita. Neque (ut jam diximus) *Methodus* uniformis in materia multiformi commode se habere potest. Equidem quemadmodum *Topicas particulares* ad inveniendum probavimus, ita *Methodos particulares* ad tradendum similiter aliquatenus adhiberi volumus.

Sequitur aliud *Methodi* discrimen, in tradendis Scientiis cum iudicio adhibendum. Illud autem regitur per informationes, & anticipationes de Scientia (quæ tradenda est) in animis discensium prius infusa, & impressas. Aliter enim tradi debet Scientia, quæ ad animos hominum nova, & peregrina proflus accedit; aliter ea, quæ opinionibus jam pridem imbibitis, & receptis, est affinis & familiaris. Ideoque Aristoteles Democritum suggillare cupiens, revera eum laudat; *Si* (inquit) *serio disputare velimus, non seclari similitudines, &c.* id vitio vertens Democrito, quod in comparationibus esset nimius. At illi, quorum documenta in opinionibus popularibus jam sedes suas collocarunt, non aliud habent, quod agant, nisi ut disputent & probent. Illis contra, quorum dogmata opiniones populares transcendunt, gemino labore opus est: primo ut intelligantur, quæ afferunt; deinde ut probentur: Ita ut necessum habeant confugere ad auxilia similitudinum, & translationum, quo se captui hominum insinuent. Videmus igitur, sub infantia doctrinarum, sæculis rudioribus, cum Syllepses illæ, quæ jam factæ sunt vulgares, & triatæ, novæ fuerant & inauditæ, omnia parabolis, & similitudinibus plena fuisse. Alias evenisset, ut quæ proponebantur, aut absque nota, seu attentione debita transmissa; aut pro paradoxis rejecta fuissent. Etenim Regula quædam est *Traditivæ, quod Scientia omnis, quæ Anticipationibus, sive præsuppositionibus non est consona, à similitudinibus, & comparationibus suppetias petere debet.*

Atque de *Methodorum* diversis generibus hæc dicta sint; his videlicet, quæ ante hac ab aliis notata non fuerunt: Nam quantum ad cæteras illas *Methodos, Analyticam, Systematicam, Diare-*
ticam,

ticam, etiam *Crypticam*, *Homericam*, & similes recte sunt ea inventæ, & distributæ; Neque causa videtur, cur illis immoremur.

At *Methodi Genera* hujusmodi sunt. *Partes* autem duæ; Altera de *dispositione totius operis*, vel *argumenti libri* alicujus; Altera de *limitatione propositionum*. Etenim ad *Architecturam* spectat, non solum *fabrica totius ædificij*, sed etiam *efformatio*, & *figura columnarum*, *trabium*, & *similium*. *Methodus* vero, veluti *Scientiarum* *Architectura* est. Atque hac in parte melius meruit *Ramus*, in optimis illis *Regulis* (*καθ' ἑλκὸν πρῶτον, κατὰ παντὸς, καὶ ἄντ' αὐτὸ*, &c.) renovandis, quam in unica sua *Methodo*, & *Dichotomis* obrudendis. Veruntamen nescio quo fato fit, ut *humanis* (sicut sæpius fingunt *Poëtæ*) *rebus pretiosissimis semper adhibeantur perniciosissimis quique custodes*. Certe conatus *Rami*, circa illam *propositionum limam*, conjecit eum in *epitomas illas*, & *Scientiarum vada*, *Auspicato*, & *felicis* cujusdam *Genij ductu* processerit oportet, qui *Axiomata Scientiarum Convertibilia* facere attentaverit, & non simul ea reddiderit *Circularia*, aut in semet recurrentia. Conatum nihilo fecius *Rami* in hac parte utilem fuisse non inficiamur.

Superfunt duæ adhuc *Propositionum Limitationes* præter eam, ut fiant *Convertibiles*: Altera de *Extensione*; altera de *Productione* ipsarum. Sane habent *Scientiæ*, si quis recte advertat, præter *profunditatem*, alias duas *dimensiones*; *Latitudinem* scilicet, ac *Longitudinem* suam. Ac *profunditas* quidem ad ipsarum *Veritatem*, & *Realitatem* refertur: Hæc enim sunt, quæ *soliditatem* conferunt. Quantum ad reliquas duas, *Latitudo* accipi, & *computari* potest de *Scientia* in *Scientiam*; *Longitudo* vero sumitur à *summa propositione* ad *imam* in eadem *Scientia*. Altera *fines* & *veros Scientiarum terminos* complectitur, ut *propositiones propriæ*, non *promiscue tractentur*; & *evitetur repetitio*, *excursio*, *confusio* omnis: Altera *normam præscribit*, quousque & ad quem *particularitatis gradum* *propositiones Scientiarum* sint *deducendæ*. Sane *dubium* est, quin aliquid *exercitationi*, & *Practiciæ* sit *relinquendum*; Oportet siquidem *Antonij Pij* vitium evitari, ne *simus Cumini Sectores in Scientiis*; neve *divisiones* ad *infima* quæque *multiplicemus*. Itaque qualiter in hac parte nobis ipsi *temperemus*, *inquisitione* plane *dignum* est. Videmus enim *nimum Generalia* (nisi *deducantur*) *parum informare*, quin potius *hominum Practicorum* *ludibrio* *Scientiæ* *exponere*, cum *nihilo magis* ad *Practiciam* *faciant*, quam *Chorographia* *Ortelij* *universalis*, ad *viam monstrandam*, quæ *Londino* *ducit Eboracum*. Certe *Regulæ optimæ* *speculis ex Metallo* non *inscite assimilantur*, in quibus *cernuntur utique imagines*, sed non antequam *expolita fuerint*; Sic *juvant demum Regulæ & Præcepta*, postquam *Exercitationis* *limam* *subierint*. Quod si tamen, usque à *principio*, *Regulæ illæ fieri possint nitidæ*, & *quasi crystallinæ*, id *optimum factu foret*, quandoquidem *exercitatione assidua* *minus indigent*. Atque de *Scientia Methodi* (quam *Præ-*

dentiam Traditive nominavimus) hæc dicta sint.

Neque tamen illud prætermittendum, quod nonnulli, viri magis tumidi, quam docti, insudarunt circa *Methodum* quandam, legitimæ *Methodi* nomine haud dignam, cum potius sit *Methodus* *Imposturæ*; quæ tamen quibusdam *Ardelionibus* acceptissima procul dubio fuerit. Hæc *Methodus* ita *Scientiæ* alicujus *guttulas aspergit*, ut quis *sciolus* *specie nonnulla Eruditionis* ad *ostentationem* possit abuti. Talis fuit *Ars Lullij*; talis *Typocosmia* à nonnullis exarata; quæ nihil aliud fuerint, quam *vocabulorum artis* cujusque *massa*, & *acervus*; ad hoc, ut qui *voce* *artes* habeant in *promptu*, etiam *artes* ipsas *perdidicisse* existimentur. Hujus generis *Collectanea officinam* referunt *vetementariam*, ubi *præsegmina multa* *reperiuntur*, sed *nihil* quod *alicujus sit pretij*.

CAP. III.

De *Fundamentis*, & *Officio Rhetoricæ*. *Appendices tres Rhetoricæ*, quæ ad *Promptuariam* tantummodo pertinent, *Colores Boni & Mali*, tam *simplicis*, quam *Comparati*: *Antitheta* *Reum*: *Formulæ minores* *Orationis*.

Venimus jam ad *Doctrinam de Illustratione Sermonis*. Ea est, quæ *Rhetorica* dicitur, sive *Oratoria*. *Scientia* certe & in se *egregia* & *egregie à* *Scriptoribus exulta*. *Eloquentia* autem, si quis *vere rem æstimet*, *Sapientia* procul dubio est *inferior*. Videmus enim, quanto *intervallo* hæc *illam* post se *relinquat*, in *verbis* quibus *allocutus est Mosem Deus*, cum *ille munus sibi delatum propter defectum Elocutionis recusallet*, *Habes Aaronem, ille erit tibi Vice Oratoris, tu vero ei Vice Dei*. At *fructu*, & *populari existimatione*, *Sapientia Eloquentiæ* *cedit*. Ita enim *Salomon*, *Sapiens corde appellabitur prudens, sed dulcis eloquio majora reperiet*. Haud *obscure innuens*, *Sapientiam* *famam* *quandam*, & *admirationem* *cupiam conciliare*: at in *rebus gerendis*, & *vita communi*. *Eloquentiam* *præcipue esse efficacem*. Ad *Artis* vero *hujus culturam* quod *atinet*; *Aristotelis* *erga Rhetores* *sui temporis* *Æmulatio*, atque *Ciceronis* *studium acre & vehemens*, *illi nobilitandæ* *totis viribus incumbens*, cum *longo usu conjunctum*, in *caussa* *fuerunt*, ut in *libris* *suis* de *hac Arte* *conscriptis*, se *ipso* *vicerint*. Deinde *Exempla* *illa luculentissima* *hujusce Artis*, quæ in *Orationibus* *Demosthenis & Ciceronis* *habentur*. *Præceptorum acuminis & diligentia* *addita*, *perfectus* *ipsius geminarunt*. Quare, quæ in *hac Arte desiderari* *invenimus*, *versabantur* *potius in* *Collectionibus* *quibusdam*, quæ *tanquam* *Pedissequæ* *huic Arti* *præsto* *sint*, quam in *Disciplina* & *usu* *Artis* *ipsius*. Nam etiam *tum*, cum *Promptuariæ* *cujusdam* *inter* *Logicæ* *mentionem* *faceremus*, *uberiora* *ejus rei* *Exempla* *in* *Rhetoricis* *polliciti* *sumus*.

Veruntamen ut *more nostro*, circa *radices* *hujus Artis*, *glebam paululum* *aperiamus*, & *subigamus*; *Rhetorica* *certe* *Phantasia*, quemadmodum *Dialectica* *Intellectui* *subservit*. Estque, si quis *altius* *rem penetret*, *Officium & minus Rhetoricæ* *non aliquid*, quam *ur rationis dictamina*